



SAnctus Amatus omnibus disciplinis à pueris
 S optimè institutus fuit. Itaq; literarū amore tem-
 pore regis Dagoberti, anno Christi 650. apud Hel-
 uetios in monasterio S. Mauritij Benedictinorum
 ordinem confessus est. Cum autem uita monacho-
 rum ei minus placeret, sese ab illis separauit, atq; so-
 litudinem ingressus, Eremitarum uitam amplexus
 est. Ibi diligentissimè in diuinis cōtemplationibus
 perseuerabat, atq; nihilominus aduenientes homi-
 nes in fide uera instituebat. hinc factum ut Episco-
 pus Sedunensis eius pietate motus, eum sæpius ui-
 sitarit. Cum autem sedes illa uacaret, S. Amatus ad
 eius Ecclesiæ gubernationem uocatus est. quā fun-

ctionem pio animo suscepit, & optimè administrauit. Verùm erāt aliqui, qui
 hanc eius humilitatem contemnerent, atq; apud regem Burgundiæ Theodo-
 ricum efficiērent, ut is loco moueretur, atq; abbas monasterij constitueretur.
 quam contumeliā is patienti animo ferebat, atque rem commissam piè ad-
 ministrabat, donec tandem ætate grauis in Domino obdormierit. Ichan.
 Stumpff. libro 11.